



D. O. M. A.

DISPUTATIO III.

Centuriæ Quintæ

QUÆSTIONUM

ILLUSTRIUM

Philosophicarum,

In Inclytâ VVitebergensi Academiâ
Publicè

Proposita,

PRÆSIDE

M. Jacobo Martini

Logices Profess. Publ.

RESPONDENTE

Friderico Lentio


VVitebergensi,

*Ad diem 28. Maij in auditorio Collegij
veteris.*

WITEBERGÆ,

Typis Martini Henckelij Impensis Pauli

Hetovigii Anno M. DC. VIII.





VIRIS

Prudentissimis, integerrimis,
longoq; rerum usu
præstantissimis.

DN. JOANNI MATTHÆO Se-
natori Hainensi dignissi-
mo.

&

DN. GREGORIO MATTHÆO
civi ibidem primario.

*Fautoribus suis observandis Exer-
citium hoc philosophicum Dedi-
cat & offert*

Auctor, Respondens.



QUÆSTIO I.

An secundum tres illos necessitatis gradus artium præcepta informanda?



*Vis quis Philosophicæ civitatis civis es, clamitant Ramista, & artes liberales salvas & incolumes esse cupis, has leges colito & observato: quarum prima est lex Veritatis. 2. lex justitiæ. 3. lex sapientiæ. Rodin-
gus Hassus lib. 2. Dial. c. 3. In his quippe legibus omnium artium salus constituta est. Sagit. in disput. log. disput. 15. quæst. 1. Neg ullum præceptum civitate philosophica donari debet, quod se hisce legibus & statutis non sub-
ficiat. Snel. de Rameæ & Arist. Philosoph. diff. discrim. 2. Pfaffrad. in dedic. tractatus de studiis Rameis.*

*Sed † salva res est, nos Rami ejusq; principum mandatis stare neq; 2
possimus neq; volumus. Regius enim etsi fuit professor Ramus, rex tamen
minimè, proindeq; nos sine læso majestatis crimine ab ejus castris discedi-
mus, eiq; hanc rationem opponimus. Tres hæ notæ κατὰ πᾶν τὸ, καὶ ὅτι αὐτὸ & καὶ ὅτι ὄλγ πρὸς τὸν necessitatis sunt gradus, quod ne ipse
quidem negat Ramus, cum eas adsignat necessariis axiomatibus. Res au-
tem contingentes quomodo quæso necessaria dici queunt, nisi manifestam
velis committere contradictionem. Sed plurimæ res in disciplinis sunt con-
tingentes, quæ necessitatem omnino respuunt. Exemplum † adferemus ex 3
Grammatica. Regula est in O sunt generis masculini. Hanc ad truti-
nam legum Rami adpendamus & videbimus quàm commodè eæ adtribu-
antur omnibus præceptis.*

*Prima † autem lex, quæ Veritatis est, requirit ut consequens præ- 4
cepti pars vera sit, de omni antecedente & iis omnibus quæ sub anteceden-
te continentur semper & perpetuo. Snel. Diat. gen. 1. Ergone etiam omnia
in O erunt masculina? Nugæ. Sed, inquiunt, siste gradum, distinguendum
hic est inter Vni-versale absolutum & exceptivum. Egregia sanè distinctio*

A 2

& sine

Et sine pari. Quidnam est illud universale exceptivum? Id puto quod antea fuerat necessarium contingens.

¶ Secunda lex iusticia requirit, ut præcepta ex partibus essentialibus constent, vetatque præcepta heterogenea in aliqua arte tradere. Videbimus ergo et hanc legem, quæ ratione artium præceptis accommodari possit et quomodo ab ipso legumlatore id fiat investigabimus. Duo autem, ut patet, lex hæc membra habet. 1. est partes præceptorum debere inter se essentialiter coherere. Quid audio: cohereret ne genus masculinum cum definitivibus in O? Ineptum, Omnia quippe in O potuissent et possent feminini generis esse. Immo et alia multa feminina sunt multa aliorum generum. Essentiale autem ab eo cuius est essentialia separari minime potest. 2. est legem hanc vetare aliena immiscere tractationi alicui. Sed quam bellè servavit hanc legem ipse Ramus, locum, motum, tempus et cæteras adfectiones, phisicas cum tota Metaphisica logica proprias esse statuens. Nempe si hoc servare est leges latas, notiones secundas et primas confundere. Sed fortasse sibi persuasum habet Petrus principem solutum esse legibus, quas ipse fert subditis, proindeque et sibi sectæ suæ principi leges hæc transilire licitum esse. Ast quicquid Ramus: verissimum certè est vulgare illud

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum

Quam turpitudinem quidem ne ipse mundi novatorum autor effugere potest, etsi alias (uti quidam ex satellitio suo loquitur licet magno veritatis periculo)

tantum supra caput extulit omnes

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Quippe leges illas violans, in quibus omnium artium salus constituta est, ipsas suas destruxit traditiones, suisque affectis destructas reliquit, pro quibus tamen ipsi sempiternas se debere gratias præceptori profitentur. Habent ergo illas, amplectantur, colant, ament; Nobis saniozem largiatur mentem Deus.

¶ Tertia denique lex, quæ sapientia est, postulat omnia universalia, universaliter prima ideoque reciproca esse. Snel. de Rameæ & Aristor. Philosophiæ differentijs p. 133. Competit ne igitur hæc lex regula? In O sunt generis masculini. E. quicquid masculinum definit in O. Ridiculum, stultum. Unde etiam hæc lex melius et convenientius stultitiæ quam sapientiæ diceretur. Sed omittamus has vanorum vanitates vanissimas.

Q. E.

QUÆSTIO II.

An accidentia habeant materiam?

Ita † quidem judicant hac de re Timpler. lib. 3. Metaph. c. 2. q. 58. 1
 & lib. 5. c. 1. quæst. 10. Sagit. in disput. Eth. disput. 5. q. 1. & tota fere Ra-
 mistica cohors, his potissimum argumentis. I. Disciplinae sunt acciden-
 tia, disciplinae habent materiam ex qua. E. II. Temperamentum est ac-
 cidens Dd, Conimb. lib. 2. de ani. c. 1. q. 1. art. 3. Temperamentum est mi-
 stum ex quatuor primis qualitatibus. Magirus lib. 3. phys. c. 9. E. III.
 Quæ sub Deo sunt composita sunt, Deus 2 solus omnis compositionis expers
 est. Archang. Mercen. in dilucid. p. 464. Quæ composita sunt constant ex
 Materia & forma Arist. 1. phys. c. 7.

Sed † contrarium statuunt Philosophus lib. 2. Metaph. cap. 4. §. 12. 2
 ὅδ' ὅσα, inquiens, δὴ φύσει μὲν μὴ ἔσσι δὲ ἔκ' ἐστὶ ἴστοις ὕλη, ἀλλὰ τὸ ὑπε-
 κείμενον ἢ ἔσσι. Scal. exerc. 298 sect. 16. & exerc. 325. f. 2. Zab.
 lib. 2. de medio demonst. c. 6. Piccol. in com. in 2. phys. §. 19. Perer. lib.
 8. phys. c. 2. & ceteri saniores philosophi ad unum omnes, quibus & nos
 calculum addimus his moti rationibus.

I. Omnis † materia est substantia. Arist. lib. 2. de an. c. 1. §. 2. & c. 2. 3
 §. 25. & Metaph. c. 3. §. 2. E substantia autem accidens constare non potest.
 Ratio. Accidentis essentia est inherencia. Arist. d. Metaph. c. 30. §. 35. Por-
 phyr. in tract. de prædicab. c. 15. Scal. exerc. 10. Ne 2 alio modo in rerum
 natura existere potest. Fons. lib. 5. Metaph. c. 2. q. 3. 1. 3. Substantia vero
 inherere minimè potest, sed ipsa potius substat. Arist. in prædicam. subst.
 Enullam prorsus habent materiam accidentia. II. Tota Entitas acci-
 dentalis est quædam forma. Suarez. tom. 1. disput. 14. f. 1. dist. 3. Bellovis.
 tract. 2. c. 2. 42. Sed non formæ verum totius est habere partes. Aristot. 2
 Metaph. c. 10. f. 34.

Ad objectiones † adlatas respondemus, ad primam quidem & se- 4
 cundam: Materiam posse dici duplicem; Veram, quæ propriè est materia,
 semper 2 substantia; & analogicam, quæ, quandam, etsi exiguam, alit con-
 venientiam cum verè ita dicta materia. Nos de priori loquimur; objectiones
 verò de altera impropria & analogica. Ad tertiam dicimus esse fallatiam
 æquivocationis in vocabulo compositi; aliquando enim dicitur de composi-
 tione physica, tunc nos negamus majorem; aliquando vero de compositione
 metaphysica, tunc concedimus majorem cum Scal. exerc. 6. f. 2. & ex. 359.
 f. 12.



l. 12. Negamus vero minorem de forma & materia proprie & physice ita dictis.

Adtribuimus t̄ autem accidentibus materiam in qua Bellovis. tract. 2. c. 213. qua in compositione accidens habet rationem formalis, subiectum vero materialis causse. Suarez. l. d.

Q U Æ S T I O III.

An compositum sit formâ perfectius?

- I. Hac in t̄ questione affirmativâ tenet Præceptor Arist. 2. Metaph. c. 3. §. 7. εἰ τὸ εἶδος, inquiring, τῆς ὑλης πλεονεξία καὶ μάλλον ὄν καὶ τὸ ἐξ ἀμφοῖν πλεονεξία. Cujus sententiam veram ita probamus. I. Id quod totam alicujus perfectionem in se continet id certè est præstantius; sed compositum formæ præstantiam & insuper etiam materiam continet. E. II. Quicquid per se subsistit præstantius est eo, quod eandem vim non habet; sed compositum per se subsistit, forma vero non nisi in materia potest esse naturaliter. Fons. lib. 5. Metaph. c. 2. q. 3. s. 2. Scal. ex. 307. s. 27. Suarez. tom. 1. dispu. 15. s. 9. d. 1. Vnde etiam tam in fieri quam in conservari ab ea pendet. Dd. Connimb. lib. 1. phys. c. 9. q. 12. art. 2. Zab. in com. in lib. 1. Arist. de an. §. 14. Picc. lib. 2. de prima rer. mat. c. 12. Bellov. tract. 2. cap. 13. III. Ad quod ut primarium finem tendit generatio, illud est præstantius Dd. Connimb. lib. 2. phys. c. 7. q. 5. art. 1. Sed totum compositum primario intenditur in generatione, secundario autem forma propter compositum Suarez. tom. 1. disput. 15. s. 7. d. 7. sicq̄ ea non tam producitur quam comproducitur Tolet. lib. 1. phys. q. 19.
2. At objiciunt t̄ I. Omnis causa effectu suo est præstantior. Dd. Connimb. lib. 2. phys. c. 7. q. 18. art. 2. Sed forma est causa compositi Archang. Mercen. in dilucid. p. 147. & λόγος ἢ τὸ ἕν εἶναι Arist. 2. post. c. 11. a Metaph. c. 3. 2. phys. §. 28. E. forma est præstantior. II. Propter quod unumquodq̄ est tale illud magis est tale Arist. 1. post. cap. 2. §. 15. a. minor. Metaph. c. 1. §. 4. Sed per formam compositum omnem suam habet perfectionem. E.
4. Sed t̄ respondemus ad primæ rationis majorem, nos illam simpliciter & de omni causa non concedere sed de externis solum & potissimum de efficiente principali Suarez. tom. 1. disput. 26. s. 1. In secunda negamus minorem.

rem. Habet enim & compositum perfectionis aliquid à materia & ex-
unione materiae & formae, videlicet, subsistentiam.

Has † duas sententias conciliare studet. Perer. lib. 6. phys. c. 6. hoc s
modo. Forma vel consideratur extra materiam, vel consideratur in ma-
teria. Si consideratur priori modo tunc composito est imperfectior: si poste-
riori aequè nobilis est, ac compositum. Sed nihil novi dicit Pererius: forma
quippe in materia ipsum est compositum.

Q U Æ S T O IV.

*An res finite agere possint, non concurr-
rente ad actionem primo agente?*

Altum † quiddam sapit hæc questio, difficilis q̄ nobis intra Philoso-
phiae cancellos nobis continentibus explicatu erit. Dicitis enim scriptura si
ageremus, theologice q̄ nostram confirmare studeremus sententiã, quæ adfir-
mativa, est, facili nos expediremus negotio. Expressa enim & multa, imo in-
numerabilia in biblijs habentur testimonia ut. Iob 10 v. 8. & . 39. Esa. c.
26. v. 12. Math. 6. v. 26. & . 10. v. 29. Ioan. 5. v. 17. Act. 17. v.
28, &c.

Cum † tamen præceptor μετὰ βασιλευς εἰς ἄλλο γένος rectè prohi-
buit, 1. post. § 56. 58. & 60. nos ejus monitum sequentes, non ut theologi
ex theologice agemus fundamentis, sed ex philosophicis potius principijs.
Quod sic præstabimus.

I. Omnis † actio quæ neq̄ involvit contradictionem, neque ullam imper-
fectionem sed perfectissimã potiùs perfectionem Deo est tribuenda. Fons. lib. 5.
Metaphy. c. 2. quæst. 9. s. 2. Perfectissimus q̄ agendi modus perfectissimo En-
ti est adscribendus Tolet 2. phys. q. 2. Ast non impossibile sed perfectissimum
est ad omnes actiones concurrere. E. Deo denegandum nõ est. Sed inquit, suffi-
cit, si solum conservando. Nego. Conservat enim vel extrinsecus eo
scilicet conservandi modo, quo concurrat ad conservationem locati locus. Ve-
rùm non tali ratione. Deo enim manum subtrahente, conservantibus ve-
rò causis secundis, res in integro maneret statu, quod absolum prorsus
absurdum penitus. Immo si hoc modo conservaret Deus res creatas, hæc
esse possint, non conservante ipso, quo tamen impio quid magis impium. Ra-
tio est, quia locus non requiritur ad corpus quatenus corpus est necessario, ab
aliquo

aliquo enim abest e. g. à cœlo (supponimus autem locum esse superficiem cum sapientum Præceptore 4. Phys. c. 4. § 41. Et ceteris plerisque Aristotelicæ familiæ Philosophis Perer. lib. 11. phys. c. 4. Piccol. de commun. rer. adfect. c. 10. Dd. Conimb. lib. 4. Phys. c. 4. q. Tolet. lib. 4. Phys. quæst. 3. Magir. lib. 1. phys. c. 8. contra Scal. exerc. 5. l. 3.) quod non per se sed per accidens est in loco. Arist. 4. phys. c. 5. § 45. Vel intrinsicus, ita nimirum ut esse Entium creatorum immediate pendeat ab ipso creatore. Talem autem si concedunt, ut concedere opus habent, dependentiam nescientes quidem in nostram eunt sententiam. Omne quippe tali modo dependens ab effectu pendet. Si enim independens dependentia gubernat et regit, quod nemo sanæ mentis compos negavit, negat aut negabit necessario sequitur illud ipsum eorum fuisse effectorem. Nam, si non fecit, igitur ab alio factum accepit vel mutuo vel commodato et c. uti acutè acutissimus argumentatur. Scal. exerc. 3. At quomodo potest aliquid dici efficiens alicujus, si in productione ejus cooperando non ad fuit!

II. Quomodo se res habet in esse ita se habet in operari. Dd. conimb. lib. 2. phys. c. 3. q. 18. art. 2. Sed in esse dependent res à Deo Arist. 2. Metaph. c. 7. § 38. Et etiam in operatione. Seu: Vti res sunt entia ita sunt etiam agentia Suarez. tom. 1. disput. 22. l. 1. d. 11. Sed res sunt entia per participationem, et analogice dicitur Ens de Deo et creaturis Fons. lib. 4. Metaph. c. 2. q. 1. l. 5. Verfor lib. 4. Metaph. quæst. 1. Soar. tom. 2. disput. 28. l. 3. d. 4. Et ita sunt agentia.

III. Determinatus effectus per actionem determinatam est producendus. Sed causa secunda determinare sese ad hunc effectum in individuo non potis est. Perere. lib. 8. phys. c. 8. Necessarium ergo est ut cooperetur prima causa, quæ determinet individuum vagum, quod intendit causa secunda ad certum aliquod. Illa enim infinita est potestatis Scal. exerc. 365. l. 8.

IV. Inferius non causat nisi dependenter à superiori. Dd. Conimb. lib. 2. phys. c. 7. quæst. 12. art. 2. ὡς εἶπε μὴδὲν ἐστὶ τὸ πρῶτον ὅλως ἄλλιον ἔδεν ἐστὶν Arist. 2. min. Metaph. c. 2. § 6. τὸ πρῶτον, αἰτιώτερον τῆς κινήσεως τῆς ἐχομένης καὶ κινήσει μάλλον. 8. phys. c. 5. § 41. Sed Deus est suprema causa et eius absq. Ente. Scal. ex 359. l. 2. E. nihil sine hac inferior agere potest.

Q U Æ S T I O. V.

Vtrum finis sit vera causa?

Nos



Nos ꝑ cum Philosophorum coryphæo Aristotele ꝑ. Metaph. c. 1. 2. ꝑ
phys. c. 3. & alijs locis adfirmatiuam statuimus his rationibus. I. Cui-
bet quaestioni de aliquo effectu respondetur per aliquam causam; uerum ad
quaestionem propter seu cur per nullam ex reliquis tribus respondetur: da-
bitur ergo quarta quæ finis est. II. Natura non agit frustra. Arist. lib. 1.
de cœl. c. 4. § 3. 2. lib. 3. de an. c. 12. §. 60. Eamꝑ si quis inconsulto pu-
tat agere, ridebitur ab Aristotele, explodetur à Platone, Galeni etiam iussu
uapulabit. Scal. ex. 68. f. 1. E. propter finem. Sin autem propter finem, is
omnino causa erit alliciens effectum ad hoc uel illud producendum.

Hæ duæ ꝑ rationes pro nostra sufficiant sententia. Quia tamen 2
οἱ τῶν ἀμφισβητῶντων ἐλέγχετῶν ἐναντιομένων αὐτοῖς λόγων ἀποδείξῃς
εἰσὶν Arist. 1. Eud. c. 3. Contrarias aliquas audiamus rationes,
quarum 1. sic se habet: Omnis causa est principium Arist. d. Metaph. c. 1.
§. 1. et si non contra Fons. lib. 5. Metaph. c. 1. q. 7. f. 1. At finis non est prin-
cipium sed opponitur potius principio ꝑ. Metaph. c. 2. § 3. Quicquid causat
est actu. Finis non est actu ante effectum. E. Quicquid causat, causat reali-
ter; Sed causatio finis est tantum Metaphorica Arist. 1. de gen. & cor. c. 7.
Scal. ex. 2. § 4.

Hæ ꝑ rationes etsi primâ fronte probabilitatis aliquid habere ui-
deantur, tamen tanti ponderis non sunt, ut nos à confirmata abripiant senten-
tia. At primam enim respondemus Aristotelem finem non opponere cuiuslibet
principio, sed ei solùm, unde motus est. Dd. Conimb. lib. 2. c. 7. q.
20. art. 2. quæ relative opponuntur. Fons. lib. 3. c. 2. in com. alias
enim negari nunquam poterit, finem principium esse Suarez. tom. 1. disp.
23. f. 1. d. 10. Ad secundum distinguimus inter finem in executione &
intentione (etsi locū etiam hic habeat distinctio inter finem dū & q̄
Arist. lib. 2. de an. c. 4. § 37) ille etsi actu non est, hic tamen est.
Immo repugnat fini existere actu antequam media ad eam dirigantur.
e. g. si sanitas esset, non susciperetur Curatio Fons. lib. 1. metaph.
c. 7. q. 1. f. 6. Nosꝑ non solum operamur propter ea quæ jam sunt,
sed propter ea etiam quæ esse possunt & actione nostra comparari. Perer.
lib. 8. phys. c. 11. Tolet. 2. phys. q. 14. In Tertia negamus minorem
si intelligit propriam finis causationem, uerè enim causat; si autem
intelligit motionem efficientis metaphoricam, concedimus eam, nihil tamen
contra nos infertur.

B

Q u æ

Q U Æ S T I O VI
*Qua sit ratio caussandi causa
finalis?*

1. *Finem † definit Præceptor lib. 2. post. c. 11. 2. phys. c. 3. § 29. & 31. Item c. 7. § 69. & 74. a. Metaph. c. 3. a. minor. Metaph. c. 2. § 8. 2. de an. c. 4. §. 37. 1. Eth. Nicom. c. 7. Id cuius gratia aliquid fit. Ex qua quidem definitione satis adparet, effecta finis esse que ipsius gratia fiunt. Quid tamen illud sit difficultate non caret.*
2. *Nos dicimus † intelligi omnia, que finis gratia sunt, si ve per ea aliquid fiat si ve eligatur & intendatur tantum Fons. lib. 5. Metaph. c. 2. q. 10. Quod sic probamus. Effecta finis sunt que ipse caussat. Dd. Conimb. lib. 2. phys. c. 7. q. 22. art. 1. Sed tam media quam electionem & intentionem quorum caussat: Finis enim si non esset neq. illa essent.*
3. *Sed obstare † videtur hoc quod finis sit id cuius gratia aliquid fit: hoc vero solis mediis competit: sola ergo media erunt effecta finis.*
4. *Verum † negamus minorem, id enim non solis medijs, sed omnibus à fine essentialiter pendentibus competit: attamen si vehementius urgeretur propositio, etiam electio potest dici medium haut incongrue Suarez. tom. 1. disput. 23. l. 3. d. 7. Immo & ipsa media ne quidem effecta finis vel dici vel esse possent, nisi intercedat & mediet. eorum electio Ibid. d. 6.*

Q U Æ S T I O VII.

An cælum sit præstantissimum corpus?

1. *Duplici † modo potest considerari animatum, primo ut habet esse physicum & operationes physicas: deinde ut habet operationes animales. Perer. lib. 2. phys. c. 6. De posteriori hic non agimus, conlatio quippe instituenda inter ea que paria sunt, iam autem cælum animatum non est. Dd. Conimb. lib. 2. de cælo c. 1. q. 1. Suarez. tom. 2. disput. 35. l. 1. d. 15.*
2. *Primum † igitur quod adinet, nos stamus pro affirmativa, cum divi-
2no nostro præceptore, qui multis in locis idem nobiscum dicit, ut 1. de cælo,
c. 2. multum differens de præstantia motus circularis & ipsius cæli, subjicit
demum § 12. εα τε δὴ τὰς ἀνωφανε ἐὼν ὄλ. τὴν φύσιν ἐστὶν ἀσώματ. & ἀμνη-
ταρα.*



καὶ ἐν τῷ αὐτῷ οὐκ ἔστιν ἁπλοῦς ἀλλὰ ποικίλος ὁ κόσμος τῶν πᾶσι.
Idem iterat §. 16. & 100. Item 2. phys. c. 4. §. 45. Ἰσομάται
ἀξίον dicit, quod Philosophi quidam docuerint plantas & alia corpo-
ra causas per se habere, cælum autem à fortuna esse, cum tamen hoc longè
illis præstantius.

Pro confirmanda † autem hac sententia has adducimus rationes. Illud †
est corpus præstantissimum, cuius forma præstantissimè informat materiam:
sed hoc facit forma cæli. E. Dat enim ei esse incorruptibile, figuram & mo-
tum perfectissimum, nobilissimumq; essendi modum. II. A quo pendent re-
liqua corpora, illud est præstantissimum; sed à cælo pendent reliqua corpora.
Ergo est corpus præstantissimum.

Q U Æ S T I O V I I I.

Prudentia quotuplex & quid sit?

Notum † est prudentiam dici multifariam, ut, alia dicitur diuina,
quam nos, utpote instituto non conducentem sicco præterimus pede: alia na-
turalis, quando videlicet bruta ea faciunt, quæ ne prudens quidem homo fa-
ceret; e. g. formicæ æstate grana colligunt, apes factum conficiunt, regem
suum sequuntur & c. & humana, quam rursus dispescimus in eam, quæ in
spe & semine adhuc est, & quæ jam habitu est & forma Arist. lib. 6. Eth.
c. 13. Magis, in comment. supra l. d. Prudentiam in spe & semine ad-
tribuimus pueris, se ad prudentiam faciles ostendentibus; prudentia, quæ
habitus perfectus jam extat, semper est cum virtute conjuncta (Diabolicam
enim illam versutiam & calliditatem ut prudentiæ nomine dignemur absit)
rectamq; vivendi rationem tradit Dd. Conimb. disput. Eth. 8. q. 1.
art. 1.

Hujus † prudentiæ descriptiones varij varias adtulerunt; nos tamen
eas nihil morati, optimam agnoscimus eam, quam habet præceptor 6. Eth. c.
5. Προνοιας ἔστι ἕξις ἀληθῆ μετὰ λόγῳ πρᾶξι καὶ πρὸς τὰ ἀνθρώπων ἀγα-
θὰ & κακὰ. Hec definitio quo manifestior fiat, singulas prudentiæ
causas altius perscrutabimur: τότε δὲ εἰδέναι φημεν ἕνα ἄνθρωπον ὅταν τὴν
αἰτίαν οἰώμεθα γνωρίζειν. Arist. α. Metaph. c. 3. 1. post. c. 7. § 16.
2. post. c. 11. 1. phys. c. 1. §. 1.

B 2

Efficien-

3 Efficientem † igitur causam prudentia proximam (remota enim est Deus ter Optimus Max.) Cum philosopho a. Metaphys. 1. agnoscimus longum rerum usum & experientiam, qua de re tamen latius in sequenti quaestione.

4 Materia † est triplex: ex qua, in qua & circa quam. Fons. lib. 5. Metaph. c. 2. quaest. 1. sect. 1. Materiam ex qua, utpote accidens, non habet. In qua seu subiectum est mens nostra: circa quam seu obiectum sunt omnia quae homini in vita vel bona vel mala occurrunt. Ille ergo vere prudens est qui in quibusve casibus & sibi ipsi & Reipub. in qua vivit, bene potest consulere. Plato in Alcib. 2. Cum actio prudentia maxime cernatur in hominum commodis tuendis. Cic. lib. 1. off.

5 Forma † generalis quam cum reliquis mentis habitibus habet communem, est habitus qui in definitione generis vicem obtinet. Piccol. grad. 5. c. 34 propria forma quae distinguit eam à reliquis mentis habitibus est actio. Magirus lib. 6. Eth. c. 5.

6 Finis † est summum hominis bonum ab Aristotele 1. Eth. traditum.

QVÆSTIO IX.

A quo in nobis producatur prudentia habitus?

1 Diversi † diversas assignant causas. Plato in Menone id tribuit institutioni & disciplinis, ita tamen ne excludat longum rerum usum. Marsil. Ficin. in arg. ad Menonem. Quidam, quos refert Piccol. grad. 5. c. 36. ad Deum productionem eius referunt, quod neque nos, si de remota causa quaestio esset, negaremus, cum vero de proxima quaeramus ab illorum partibus stare nequimus. Aristoteles denique id tribuit experientia & longo rerum usui.

2 Nos † etsi sequamur Aristotelem, Platonem tamen hac in quaestione non rejicimus, omisâ proinde illius sententiâ per se planâ, hujus paullulum altius inspiciemus.

3 Capiuntur † autem præcepta cum à vivis, tum à mortuis.

4 A mortuis † quidem petuntur, si libros eorum adeas & perquiras, imprimis v. si historiographos excutias; ibi enim infinita prope consilio-

rum

rum & eventuum occurrunt exempla. Hic scitum est periculum ex aliis
facere sibi ex usu quid sit: hic licet inspicere tanquam in speculum in aliorum
vitas atq; ex illis exemplum sibi sumere.

A vicis t̄ autem, si conversatione illorum usus fueris, illiq; vel in s̄
tua sunt patria, vel peregrinis in locis. Ab illis qui in patria vivunt, licet
quædam addiscere poteris, si tamen totam vitam deses & expes ibi transige-
re mens est, an prudens fieri possis dubitatione non caret. A peregrinis ad-
discenda addiscuntur facilius & commodius. Peregrina enim nescio quo-
modo prima se statim fronte ingerunt, diuq; adherent. Verè ergo prudens
evadit is.

Qui mores hominum multorum vidit & urbes
ut Poeta canit. Quod tamen à perpauca cum fiat, rectè meritoq; dixit
Boetius se doctos multos paucos tamen verè prudentes vidisse, Cas. in spec.
moral. lib. 6. c. 5.

Q V A E S T I O X.

An gravius punienda mulier adultera, quam vir?

Horrendum t̄ peccatum esse adulterium, qui negat, illum extrema
impietatis esse oportet, per id quippe fama leditur, quam & ipsa vita nobis
chariorem duxerunt omnes sapientes, illiq; omnia post ponenda esse commu-
ni testatur versiculus.

Omnia si perdas, famam servare memento.
Rationem ab illis si quæras aptè tibi dant hanc; Vita non solum probis,
quod optandum, sed & improbis contingit: fama verò bona, nunquam ni-
si bonis.

Probè t̄ autem hic status questionis est observandus, non enim qua-
rimus, qua pœna adulter vel adultera sit adficienda (quæ tamen, ut hoc obi-
ter adtingamus, non solum ex divinis constitutionibus, non nisi capitis pœna
sit Levit. c. 20. vers. 10. Sed & Constantinus Magnus Imperator legem ca-
pitali pœna conjugii transgressores, cuius ipse Deus auctor extat Gen. 2. &
nuptiarum sacrilegos, damnantem sancivit. Philip. in Chronica Carionis
lib. 3. quod & constituit Aurelianus Imperator, etsi cum graviore quadam
pœna, eâ nempe, qua puniuit Alexander Magnus Bessum Regis Darii in-

tersectorem, arbores duas rectas ita incurvans, uti earum fastigia una essent, & utriq; alteram corporis partem alligans, libratæ tum arbores, cum magna violentia sese erigerent, suam utraq; parte discerpto corpore secum rapuit. Plutarch. in Alexand.) Sic etiam alias in locis capitalis pœna in usu fuit, ut in Tenedo teste Alexandro ab Alexand. lib. 4. genial. dier. c. 1. Et si alii populi alio supplicii genere in hoc peccato puniendo usi sunt, quorum aliqua recenset Bodinus lib. 1. de Repub. c. 3. Sed illa pœna qualis qualis sit, hoc est, quod quaerimus, An viro & mulieri adulteris æqualis esse debeat? Quidam hic pro viro quidam pro mulieribus certant, nos potius veritatem veriti dicimus, parem servandam esse rationem in puniendis utriusq; sexus hominibus adulteris. Ex Augustino Lambertus Danaeus in Ethica Christiana c. 14. Quod & præceptum est divinæ Majestatis Levit. c. 20. vers. 10. Deut. 22. vers. 22. Et ex instinctu Spiritus sancti proprioq; Zelo Phineas, Eleasari summi sacerdotis filius, Aaronis vero nepos, justè præstitit. Num. 25. vers. 7.

3 Injustè ergo Romulus viris dedit facultatem adcusandi adulteras, eandem vero mulieribus denegavit Plutarch. in eius vita. Non obstante, quod alias quidem regeunt ex Gellio lib. 10. noct. Att. uxorem in adulterio deprehensam à marito impune interfici potuisse, illam, si adulterantem deprehendisset maritum, ne digito quidem tangere ausam fuisse: Nec ullam legem usq; ad tempora Cæsaris Augusti de viris adulteris latam esse. Sunt enim hæc talia ut potius de jure quam de facto quaerendum. Ad primum quippe quod adinet, etsi ipsa non interficit maritum, neq; etiam illum ipsa interficere debet, ipsa tamen machum adcusando & quidem summo cum Iure Magistratui interficiendū tradere potest: nos autem hic ne extra oleas vagari videamur, quaestionem illam, alias satis disputabilem, an constitutio de interficienda uxore in adulterio deprehensa justa sit an verò non, intactam relinquimus. Ad alterum dicimus, si nulla prorsus lex de viris adulteris lata est tunc temporis, id sine magno sane Iustitiæ periculo haut factum esse, quod tertè tunc temporis multi perspicacioris ingenii homines cognovere, utpote Julius Cæsar primus Romanorum imperator, qui libertum quendam suum ob adulteratam Equitis Romani Vxorem morte multavit. Val. Maximus lib. 6. c. 1.

4 Nec etiam † hic imperator Iustinianus ab omni reprehensione immunis esse potest, qui mulieres adulteras à capitali pœna eximere conjugii Theodoræ permisit, solam ignominia notam iis relinquenti. Quæ enim infamiae pœna potest legibus irrogari iis, qui samam prostiuta pudicitia violarunt, ut doctè Bodinus lib. 3. de Repub. c. 3. Quæ enim, quæso, diversitas? quomodo

modo mulieri licet quod viro non licet, vel viro licet, quod mulieri vetitum est?

Nec ꝑ obtinet aliquid quod opponant nobis vel imbecillitatem mulieris reponimus enim reverentiam quam viro debent, & jure divino: Gen. cap. 3. vers. 16. 1. Cor. cap. 11. vers. 3. & cap. 14. vers. 34. Ephes. c. 5. vers. 23. & 24. Colossen. cap. 3. vers. 18. 1. Petri. cap. 3. vers. 1 & c. & jure naturali, quod & perspicuum in brutis animalibus: ac deniq; civili communiq; gentium. Etsi enim ait Bodinus l. d. multa in magna Rerumpublicarum varietate legum fuerunt vicissitudines, summa tamen omnium consensione uxor maritum vereri, eiq; obsequi debet: vel viri licentiam reponimus enim iis imbecillitatem mulierum & credulitatem; nam facile fallitur femineum, ut Poeta canit, Credula turba genus. Adcedit quod vir constantius ingenium usumq; rationis nobiliorem obtinet. Casus. 2. polit. cap. 16.

Nullam ꝑ proinde diversitatem neq; ex parte viri neq; ex parte mulieris esse ex hactenus satis manifestum evadit. Unde consequens quod ab initio diximus & ex jure divino ac humano probavimus tam marem quam feminam eadem poenam adfuit debere.

Nos huic ꝑ questioni finem antequam imponamus, dictum hic divini ꝑ nostri præceptoris ex 7. polit. cap. 16. adferemus ubi sic loquitur
πρὸς τῆς πρὸς ἄλλην ἢ πρὸς ἄλλον, ἔστιν μὲν μὴ καλὸν ἀπτόμενον φαί-
νεσθαι μηδαμῆ μηδαμῶς, ὅταν ἢ καὶ πρὸς ἄλλο. Δὴ πρὸς. εἰς τις φαί-
νηται πιστὴν ἢ δρῶν ἀπίστια ζημιώσθω πρὸς τὴν ἀμαρτίαν.


Qua poena, si legem Iuliam de adulteris, imo ipsum Dei mandatum sequi volumus, ut debemus, capitalis certe esse debet. Sed

Ubi nunc lex Iulia? dormis?


F I N I S.











D. O. M. A.
DISPUTATIO III.
Centuriæ Quintæ

QUÆSTIONUM
ILLUSTRIUM
Philosophicarum,
In Inclytâ VVittebergensi Academiâ
Publicè

Proposita
PRÆSIDE
M. Jacobo Martini
Logices Profess. Publ.
RESPONDENTE
Friderico Lentio
VVittebergensi,
Ad diem 28. Maij in auditorio Collegij
veteris.

WITTEBERGÆ,
Typis Martini Henckelij Impensis Pauli
Hebougii Anno M. DC. VIII.

